

cunque cognoscendis, & fundamentum suum ultimum habent in Prima Philosophia tanquam generalissimò omnium scientiarum habitu, communi disciplinarum stirpe: *Logica* nimirum in Metaphysicæ membro priore, *Analysis speciosa* in posteriore, sed *Logistica* (cujus pars est nuper inventa *Rhabdologia*, h. e. Anchincæa bacillis quibusdam artificiosè numerandi) in Arithmetica. Succedunt his aliæ *speciales Anchincæe intellectiva*, quibus intellectus in hoc vel illo Entis genere cognoscendo juvatur, & quæ fundamentum suum habent in Philosophia speciali saltem Divina seu Naturali. Et quoniam Geometria Philosophiam primam immediatè sequitur, igitur specialium Anchincæarum intellectualium omnium prima est *Geodesia*, quæ fundamentum suum habet in dictâ scientiâ, sed usum quàm amplissimum diffundit in universam Philosophiam naturalem.

§. 17. Est autem *Geodesia* nihil aliud, quàm *Ars* (scil. notionalis & interna) *mensurandi*, vel Anchincæa mensurationis, h. e. habitus res mensurandas mediantribus quibusdam instrumentis externis artificialiter & expeditè tractandi. Quæ disciplina, ut præmissas generales Anchincæas principiorum loco præsupponit; ita quicquid in Geometricis de magnitudine demonstrativè traditur, fundamenti loco supponit, eò quod ita se res habeat in mensurari, sicut eadem in ipso esse, scilicet magnitudinali. De cætero media vel instrumenta quædam artificialia tradit, quibus intellectus in mensurando dirigitur, & regulas præscribit, quibus monstrat, quomodo excogitatis & assumptis instrumentis rerum naturalium distantia, planities, altitudines, profunditates, crassities, & his proportionatæ gravitates, impetus, virtutes &c. feliciter & compendiosè inveniri, atque sic distinctè cognosci queant. Cui, finis ratione, subordinatur (esto quod subjecti respectu prorsus aliûs ab eâ generis sit) *Mechanica organopoetica*, Ars externa seu physica, & quidem ex genere imitativarum, quæ ex certâ materiâ, potissimum metallicâ, fabricat instrumenta, quibus *Geodætæ* ad intellectus in mensurando directionem utuntur.

§. 18.

Generalibus

Accedunt  
Speciales

Geometria  
Fundamen-  
tū largitur  
&

Organopoē-  
tica Adjua-  
mentum